

eadem verba hunc in modum declarat: *ite in mundum universum & prædicate evangelium omni creaturæ.* Evidentissime etiam Timotheo, qui & mediate vocatus, 1. Tim. IV, 14. & certæ ecclesiæ præpositus erat, 1. c. v. 16. tribuitur prædicatio verbi, ubi Paulus post datas admonitiones addit: *hoc enim faciens te ipsum salvabis & eos, qui te audiunt.* Sacramentorum administrationem competere ministris ecclesiæ, in genere probari potest ex 1. Cor. IV, 1. ubi Paulus eos appellat *oeconomos mysteriorum Dei.* Inprimis autem id patet ex Matth. XXIIII, 19: *baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Praxin etiam primitivæ ecclesiæ, teste historia ecclesiastica, ministris verbi tribuisse eam potestatem in confesso est. Reliqua argumenta in refutandis adversarii nostri objectionibus occurrent. Quod potestatem *clavium* attinet, de ea Servator sigillatim ad Petrum locutus erat Matth. XVI, 19, ne autem quis arbitretur soli Petro solvendi ligandique potestatem concessam esse, haud multo post apostolos omnes allocutus, Matth. XVIII, 18. ait: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cælo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta etiam in cælo.* Idem iis confirmavit eam potestatem Joh. XX, 22. seq. postquam a mortuis resuscitatus esset. Verum interea manet, quod dicit Aug. de bapt. adv. Donatistas L. III: *peccata non remittuntur secundum arbitrium hominum, sed secundum arbitrium Dei.* Remittere possunt ministri tantum pœnitentibus, & retinere tantum impœnitentibus. Deus etiam alia ratione remittit, quam minister. Hic enim *legatione Christi fungens* 2. Cor. V, 20, remittit peccata, *gratiam annuncians, & confir-*

confir-